GRATIANUS

Admont, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 69v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25944
Copyright: Admont, Benediktinerstift

publicis iudiciis deferuntur punienda non sint, illo exemplo probatur, quo Christus Iudam solus furem noverat, quem non abiecisse, sed pacienter tolerasse asseritur. Unde Ambrosius ait super I. epistolam ad Corinthios. xxxvii.

Iudicis non est sine accusatore dampnare.

§. ii. q. i. In nich.

Si quis potestatem non habet quem scit reum abicere vel probare non valet, immunis est. Et iudicis non est sine accusatore dampnare. Sic nec Christus Iudam abiecit. § Precepta quoque evangelica de dilectione inimicorum et misericordia impendenda proximis, exhortationes quoque apostoli de cibandis vel potandis inimicis non eatenus intelligenda sunt ut peccantibus relaxetur impunitas, sed ut delinquentium correctio et nature ministretur subsidium, donec per sententiam iudicis adepta spe correctionis malorum tollatur exercicium. In hoc quoque iubemur diligere inimicos et misereri eorum, ut de eorum perditione doleamus, eorum salutem desideremus, pro eorum correctione cotidie laboremus et oremus, penitentibus solatia impendamus, alter alterius onera portantes, non ut pertinaces et in malo persistentes impunitati donemus. Sic enim erga penitentes non severi, sed misericordes esse monemur, iuxta illud: Noli nimis esse iustus. Quia est iustus qui perit in iusticia sua. Et item: Iudicium sine misericordia erit ei qui non facit misericordiam. Et item illud apostoli in secunda epistola ad Corinthios: Cui aliquid donastis, et ego. Nam et ego si quid donavi propter vos donavi, acsi ipse Christus donaret, ut non circumveniamur a satana. Non enim ignoramus cogitationes eius, qui quos nequit consentiendo decipere, facit nimis asperos. Sic inquam penitentibus, ut dictum est, misericordes esse iubemur, sic inpenitentibus et obstinatis in malo misericordiam impendere prohibemur. Unde Ambrosius in libro de officiis.

De iusta et iniusta misericordia. xxxvii

Est iniusta misericordia. Denique in lege scriptum est de quodam: Non misereberis illius. Et in libris regum legitur quia Saul contraxit offensam, quia misertus est Agag hostium regi, quem prohibuerat divina sententia misericordie servari. Ita si quis latroni vel filiis deprecantibus motus et lacrimis coniugis eius inflexus absolvendum putat eum, cum adhuc latrocinandi aspiret affectus, nonne innocentes tradet exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem? Certe si gladium reprimit, si vincula dissolvit, si laxat exilium, cur latrocinandi quem potest clementiori via non eripit facultatem, quam voluntatem extorquere non potuit? Deinde inter duos, hoc est inter accusatorem et reum, pari periculo de capite decertantes, alterum si non probasset, alterum si esset ab accusatore convictus, si non id quod iusticie est iudex exequitur, sed miseretur alterius, aut dampnabit probantem, aut dum accusatori favet, quod probare non possit, addicet in